

reliqui vero fideiussores, si per se ipsos iacere noluerint, quilibet eorum mittet unum famulum militaris condicionis pro se ad iacendum in opido predicto abinde non reces-
surum, donec de defectu pecunie vel alterius alicuius con-
vencionis vel pacti premissorum fuerit satisfactum. Quo-
ciens tamen prefati obsides pro aliquo alio defectu pre-
missorum, quam pro defectu pecunie supradicte vel sigilli
capituli Coloniensis de quo infra dicitur moniti fuerint,
quilibet pro se famulum ut predictur ponere poterit ad
iacendum. (13) Et nichilominus ad maiorem horum firmi-
tatem rogavimus dictum dominum archiepiscopum, quod
ipsi comiti castrum Aspele, Reys et Xanctis¹ cum suis
iuribus et pertinentiis quibuscumque pro dictis octo milibus
marcarum argenti exnunc pro subpignore obligabit, que
tenebit de redditibus percipiendis, quos redditus et pro-
ventus pro expensis custodie et defensione dictorum castri
et opidorum ac terre tenebit, nichil propter hoc de sorte
principali defalcando. (14) Est eciam condictum, quod
idem comes cum mille armatis militaribus veniet Aquis ad
coronacionem nostram, partem nostram contra invasores
nostros adiuvando, et quod ab ista parte Mogii et Moselle
nobis assistet contra nostros inimicos, qui propter elec-
cionem de nobis factam se opponunt seu opponent nobis,
sic tamen quod terram comitis Iuliacensis hostiliter intrare
vel invadere non teneatur hac de causa; et hoc faciet bona
fide. (15) Nos quoque premissa ipsi comiti bona fide
adimplere et sibi assistere promittimus viceversa. In cuius
rei testimonium presentes litteras ipsi comiti nostro et
dicti archiepiscopi ceterorumque obsidum et fideiussorum
nostrorum predictorum sigillis appensis presentibus dedimus
communitas. Et nos Henricus Dei gracia sancte Colo-
niensis ecclesie archiepiscopus sacri imperii per Italiam
archicancellarius ceterique obsides et fideiussores predicti
recognoscimus nos prestita bona fide corporali ad premissa
ad preces illustris principis domini nostri Frederici ducis
Austrie in Romanorum regem electi, videlicet pro predictis
octo et tribus milibus marcarum argenti aliisque con-
dicionibus et pactis predictis sub forma predicta, quodque
litteras nostri archiepiscopi super obligacione castri Aspele,
opidorum Reys et Xanctis nostro et capituli Coloniensis
sigillis sigillatas infra quindenam, postquam super hoc ex
parte ipsius comitis moniti fuerimus, procurare et efficere
ipsi comiti tradi et assignari cum effectum, alias iacenciam

1) Aspel, Rees, Xanten.